



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de**

**Lvgdvni, M.DC.LI.**

II. An ante operationem intellectus detur vniuersale, seu vnitas positiua  
multis communis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

## PUNCTVM PRIMVM.

*Quid sit vniuersale.*

**V**niuersale definiuit Aristoteles, 7. Metaph. text. 45. his verbis: Hoc enim dicitur vniuersale, quod in pluribus natura aptum est inesse, & lib. de interpretatione cap. 5. Dico autem vniuersale quod in pluribus predicari natum est, ut homo quidem vniuersalium est, quas definitiones apud eundem Philosophum simul reperies libro de Poster. resolut. cap. 10, text. 25. ex quibus quæ communiter circumscribuntur Authores deduxerunt, vnum aptum esse in multis, & vnum aptum predicari de multis. Ex quibus definitionibus constat requiri ad vniuersale vnitatem, & multiplicabilitatem. Vnitatem exprimit verbum vnum in definitionibus expressum, multiplicabilitas explicatur per aptitudinem ad essendum in multis, aut prædicandum de multis, quia quod est in aliquo, & de illo prædicatur necessarium indentificatur cum ipso: ergo quod est in multis, & prædicatur de multis indentificatur cum multis: ergo fit multiplex: ergo in multa illa diuiditur, & multiplicatur: ergo omne aptum esse multis, & consequenter omne vniuersale debet esse multiplicabile in multa, de quibus possit prædicari.

Ex natura vniuersalis sic explicata, deprehendes hoc nomen vniuersale latius sepe patere vniuersalis naturæ, de qua agimus in præfati. Quædam enim vniuersalia dicuntur propter multitudinem eorum, ad quæ dicunt ordinem; sic principium aliquod ex quo plures possunt inferri conclusiones vniuersale vocamus. Similiter nomen aliquod, quod ad plura singularia significanda potest extendi, vniuersale in significando dicere solemus, & causam, quæ plures effectus specie distinctos sub se continet causam vniuersalem, seu vniuersale in causando solemus appellare. Secundum has acceptiones dicimus hoc principium quodlibet est vel non est, ex quo plures inferuntur conclusiones esse vniuersale, & hoc nomen homo, quo Petrus & Ioannem significare solemus esse vniuersale in significando, quia plura significat, & Solem, à quo plures effectus dependent causam esse vniuersalem; nullum tamen horum vniuersale dici potest secundum acceptionem, de qua in præfati agimus, quia principium illud non est multiplicabile in plura alia principia, neque nomen in plura nomina, neque Sol potens causare plures effectus in plures alios Soles eandem virtutem habentes. Inferitur etiam eandem formam existentem in pluribus subiectis, v. g. eandem animam rationalem existentem in pluribus subiecti partibus vniuersalem non esse, quia in omnibus subiectis est sine sui multiplicatione, eadem enim est rationalis anima existens in capite, & in pede, eademque esset existens in aliis materiis adequatè distinctis.

Ob eandem rationem natura diuina existens in tribus personis vniuersalis non est, quia in omnibus existit sine sui multiplicatione, neque vnquæ verum est dicere, natura diuina in tribus personis fit triplex natura diuina, licet enim persone multiplicantur, natura diuina in ratione naturæ manet simplex, & immultiplicabilis. Neque sufficit naturæ vnâ indentificari cum multis distinctis, quâdo ex hac identitate non inferitur multiplicitas secundum naturam, sicuti contingit in natura diuina, quæ indentificatur cum tribus personis distinctis, in quibus est, nihilominus vniuersalis non est, quia non est verum dicere, natura diuina est multiplex in tribus personis, etiam si verum sit dicere, natura diuina est indentificata cum tribus personis. In creatis autem eo ipso, quod entitas indentificetur multiplici extremo, in se fit multiplex, ideo quocumque detur identitas cum multiplici extremo, non deficiet creaturæ multiplicitas requisita ad vniuersalis naturam.

Arguit etiam hæc vniuersalis multiplicabilitas vnitatem, quam secum ferat vniuersale, & ea enim debet esse, quæ cum hac multiplicitate compatiatur, cum enim vniuersale sit vnum aptum esse in multis, quod dicit formaliter vnum aptum multiplicari, necessum est in ipso componi vnitatem, & multiplicabilitatem, licet non componentur vnitatem, & multiplicatio, quia multiplicatio actualis destruit vnitatem: Itaque vniuersale vnum debet esse multiplicabile, sicuti vna quantitas vniuersalis diuisibilis est in duas semi-vnitas, cuius vnitatem componibilis est cum diuisibilitate in duas semi-vnitas, non tamen cum diuisione, quia eo

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

ipso quod quantitas vnaris in duas semi-vnitas diuiditur, iam non manet cum vnitatem quantitatis vnaris, quæ destruitur formaliter per ipsam diuisionem. Vnitatem hæc componibilis cum multiplicabilitate indiuidualis vnitatem esse non potest, quia indiuiduum est multiplicabile, impartibile in alia indiuidua cum quibus indentificetur, dicit enim indiuiduatio indistinctionem rei indiuiduæ à se ipsa, & distinctionem à quolibet alio, neque ex eo quod indiuiduum possit multiplicari in suas partes habet vnitatem sufficientem, ut possit dici vniuersale, quia vniuersale dicit multiplicabilitatem respectu plurium, cum quibus adequatè indentificetur, quæ multiplicitas componi nequit cum vnitatem indiuiduali, quam indiuiduum importat.

Exclusa vnitatem indiuiduali à natura vniuersalis tantum illi superest vnitatem specifica, vel generica, cuius beneficio plura adunantur, quæ indiuidualiter distinguuntur, ita tamen ut de illorum quolibet ratio illa vna secundum se totam formaliter sumpta prædicetur modo explicato. Exempli gratia, ex vi vnitatis specificæ indentificatur Petrus, Ioannes, Franciscus, & reliqua indiuidua nature humane, & sunt vnus homo, qui homo quatenus ita indentificatur cum quocumque indiuiduo, ut de illo possit secundum se totum prædicari, & ita in omnia indiuidua multiplicari, ut totum id, quo l formaliter in statu abstractionis dicebat, sit in quolibet indiuiduo, & in ipsis fiat multiplex homo, quorum quilibet dicat totam rationem adequatam, quam dicebat simplex conceptus hominis antequam illius obiectum in ordine ad intellectum, respectu cuius erat vnum, in plures homines multiplicetur. Idem contingit in genere respectu specierum, per vnitatem enim genericam adunantur plures species, v. g. homo, equus, & leo in vno animali, quod postea adequatè de illarum quolibet multiplicatur. Quid verò importet hæc vniuersalis vnitatem dicam Punct. 4. & quomodo totum vniuersale indentificetur adequatè cum quocumque singulari, explicabo Punct. 5. & ex doctrina ibi tradenda constabit non implicare rem vnâ vnitatem formaliter requisitâ ad vniuersale construendum in plura inferiora multiplicari.

## PUNCTVM II.

*An ante operationem intellectus detur vniuersale, seu vnitatem positina multis communis.*

**A**ristoteles 1. Metaph. à textu 25. & 7. Metaphys. à textu 44. & 1. Ethic. cap. 6. adscribit Platoni sententiam quandam asserentem, rerum species, quæ ideæ secundum hanc sententiam appellantur, per se existere, esseque naturam vniuersalem & veluti exemplaria naturam singularium: v. g. hominis essentiam asserere hæc opinio in communi per se existere, quam potissimum hominem appellabat, quia particulares homines, non absolute & simpliciter homines, sed hi homines dicerentur. D. Aug. lib. 83. quæstionum, quæst. 46. Plotinus, Iamblicus Philoponus, Simplicius, & alij Platonici censent Platonem posuisse ideam rerum in mente Dei, non verò extra Deum existentes, falsoque prædictum errorem Aristotelem imposuisse Platoni; vel quia illum non intellexit, vel ut aliquid Magistro adscriberet, quod ab ipso posset impugnari; vel denum sententiam istam ab Aristotele non impugnari ut traditam à Platone, sed ut intellectam à Xenocrate & aliis Philosophis illius temporis. Philosophum Platonis mentem non percalluisse, difficile credam, cum illum viginti annis docentem audierit, quibus milles eandem sententiam à Platone tradidit, & explicatam accipere necessum fuit, fidemque superare videtur post tam diuturnam eiusdem doctrinæ explicationem, nunquam viuendo & perspicaci Philosophi intellectu fuisse perceptam. Platonis sententiam ut ab ipso traditam, & non ut ab aliis Philosophis intellectam ab Aristotele fuisse impugnata, suadet ex eodem Philosopho 1. Ethic. cap. 6. ubi de hac re loquens ingenue fatetur se veritatis causa, etiam amicos (Platonem intelligebat) deserere. Denum Philosophum sententiam hanc Magistro non imposuisse licet coniectari, quia nimia esset impudentia, si præceptorem suum in re grauissima, & omnibus Platonis auditoribus

ribus notā voluisset calumniare. Tandem illa sententia non obscurē legitur apud Platonem in Dialoگو, quem *Parmenidem* inscripsit, vbi expressē docet ideas non esse notiones, sed notionum obiecta, neque in animis existere, sed tanquam exemplaria in natura consistere. Accedit quod Plato tria posuit rerum perpetua principia, Deum, Ideam, & Materiam. At si Idea esset in mente Dei non esset distinctum principium à Deo. His non obstantibus adhuc in re leuis momenti, quæ minimè ad doctrinam spectat, nihil contra Dñi Augustini mentem asserere audeo, à quo neque grauioribus aliis fundamentis recederem. Neque de hac re definienda quidquam curo, lege si vis Patres Conimbr. in præfatione Porphyrij quæst. 1. art. 3. qui eruditè referunt omnes, qui ab hac calumnia Platonem liberare contendunt.

2 Cuiuscumque sit relata sententia, falsissima est & absurda, quod sic ostendo. Nihil reperitur in rerum natura, quod non habeat esse singulare, & determinatum, quod implicat esse vniuersale, quia quiddam habet esse singulare, & determinatum non est indifferens ad plura, quod est de conceptu quidditatiuo vniuersalis, sed contractum & determinatum ad vnum, quod est de ratione quidditatiua singularis, & essentialiter oppositum cum essentia vniuersalis. Quod autem habeat esse determinatum, & singulare quiddam in rerum natura existit, sic euincitur. Quidquid est in rerum natura præter Deum habet esse ab alio: ergo productum per aliquam actionem à causa prima, vel secundā adiutā à prima: sed omnis actio versatur circa rem determinatam, nam si causa aliquid producit, producit rem distinctam ab entitate, quæ producta non est, & postea producit: ergo si distinguitur, vnitatem aliquam, & determinationem debet in se habere. Secundò, ratio illa separata vel distinguitur, vel non distinguitur à prædicatis, quæ sunt in indiuiduo. Si non distinguitur: ergo est singularis, & distincta in omnibus indiuiduis, sicuti sunt horum indiuiduas differentie: si distinguitur, distinguitur tanquam res à re vel modo superaddito, & indifferens non erit vt sit in indiuiduis, nisi forsan eo modo, quo materia prima est indifferens vt sit sub pluribus formis, quas simul potest recipere, sicuti de facto accidentales recipit, quæ distinctio est rei singularis à pluribus aliis singularibus, quibus potest produci: ergo non nisi per insignem chimeram fingi potest hæc vniuersalis idea extra intellectum in rerum natura existens. Me vide Controv. 4. Metaphysicæ, Punct. 3. vbi ex instituto probo omnia prædicata Metaphysica in indiuiduis reperta realiter identificari cum differentia indiuiduali, ex qua doctrina hæc vniuersalis idea & quælibet alia natura ante intellectum vniuersalis longè abiget.

3 Commune est inter Thomistas, & alios quàm plures autores docuisse Scotum in 2. distinct. 3. quæstion. 1. & 7. Metaphysicæ quæst. 18. dari à parte rei naturas, quæ denominantur vniuersales, & formam illam à qua actus, & formaliter vniuersales denominantur. Horum fundamentum est Scotum concessisse naturam communem omnibus indiuiduis ex natura rei ante omnem intellectus operationem formaliter distinctam à differentia indiuidualibus, habentemque vnitatem formalem prædictæ distinctione à numerica distinctam, multique communem, per quam vnitatem tanquam per vniuersalitatem, naturam formaliter vniuersalem constitui necesse est. Verumtamen Merino nobilis inter omnes recentes Scoti discipulos, & sedulus illius doctrinæ inuestigator capit. 1. de vniuersalibus disput. 2. quæstion. 1. acriter inuehitur in illos, qui opinionem hanc Scoti adscribunt, quam subtilem Doctorem nunquam defendisse, potius oppositam docuisse, meā quidem sententiā efficaciter probat testimoniis ex ipso Scoto deductis, quæ ad verbum refert loco citato. Fundamentum, quo sententiam istam Thomistæ aliique plures Scoti tribuerunt, est, dedisse Scotum naturis quatenus est ex se secundum suum esse quidditatiuum communem quandam, seu indifferentiam ad plura indiuidua, quam negatiuam esse assererat Scotus, & ideo insufficientem ad vniuersale constituendum, quod formaliter dicit positiuam communem; Thomistæ verò existimauerunt ab Scoto communem positiuam admitti, & ideo asseruere ab ipso concedi vniuersalitatem, seu formam, per quam constituitur vniuersale ante omnem intellectus operationem. Quid

verò de hac vniuersalitate negatiua sentiendum sit, dicam Punct. 3.

P. Fonseca 5. Metaph. cap. 78. q. 3. duplicem statum in natura meditat, vtrumque ante omnem intellectus operationem. Primum, in quo est prior singularitate, ad quam contrahitur, & indifferens vt ad hanc vel illam singularitatem contrahatur. Posteriores, in quo est iam ad talem singularitatem contracta. In hoc posteriori statu nature nullam vniuersalitatem competere affirmat, in priori verò eandem naturam vniuersalem esse dicit, quia natura, quæ est in Petro, vt est prior singularitate, est indifferens, & indeterminata ad omnia indiuidua, & quia à parte rei est prior singularitate, à parte rei habet hanc indifferentiam, & à parte rei est vniuersalis, habet enim vnitatem, & aptitudinem ad multa, quibus natura vniuersalis formaliter constituitur. Sententiam Fonseca defendit etiam Sotinas 7. Metaph. q. 4.

5 Sententia ista iuxta nostra principia, quæ nullā admittit distinctionem inter gradus superiores, & differentias indiuiduales, nullatenus potest subsistere, quia vbi non est distinctio non potest esse contractio, neque indifferentia ad contractionem, nihil enim per se ipsum contrahitur, neque ad se ipsum est indifferens: sed natura humana, quæ est in Petro, nullam distinctionem habet ante operationem intellectus respectu differentie indiuidualis, cum qua coniungitur: ergo nunquam potuit esse indifferens, vt contraheretur per talem differentiam, vel per aliam ab ipsa distinctam: ergo in nullo priori fuit vniuersalis. Secundò admissa distinctione formali ex natura rei inter prædicata superiora, & differentias indiuiduales, Fonseca sententiam impugno. Etiam si prædicata superiora ex natura rei formaliter distinguantur à differentia indiuiduali, nihilominus realiter cum illa identificantur: Sed illa, quæ realiter identificantur, etiam si formaliter ex natura rei sint distincta, neque antecedenter de potentia Dei absolute separari possunt: ergo nullus fuit status, in quo prædicata superiora, quæ sunt in Petro contracta per hanc differentiam indiuidualem, haberent indifferentiam, vt à tali differentia separarentur: ergo in nullo statu habuerunt indifferentiam, vt per hanc, vel per illam differentiam indiuidualem contraherentur: ergo in nullo statu præcedente operationem nostri intellectus habuerunt hanc indifferentiam. Prædicata superiora identificari realiter cum differentia indiuidualibus concedit Fonseca, & propugnat Scotus cum omnibus, qui distinctionem formalem ex natura rei defendunt. Illa, quæ realiter identificantur, non posse realiter separari, etiam si ex natura rei formaliter distinguantur, concedunt omnes nemine dempto, & per se notum est, si enim separatio cum identitate componeretur, possemus dicere, Petrum modò existentem habere identitatem cum Ioanne, qui nondum existit, & non distingui ab illo realiter, sed tantum formaliter ex natura rei.

6 Dices naturam esse indifferentem, vt contrahatur per hanc, vel illam indiuiduationem in illo priori, in quo est indifferens, vt producat, & non producat, & in illo priori, in quo est Deus indifferens ad producendum Petrum, vel Paulum, quia in illo priori Deus est indifferens, vt producat naturam humanam in Petro, vel in Paulo. Respondeo, naturam nunquam habere physicam indifferentiam, vt producat, vel non producat, quia vt ostendam Controv. 2. de anima Punct. 1. antequam res formaliter sit existens, nihil illius est, neque possibilitas rei importat aliquid distinctum formaliter ex parte obiecti ab ipsa re existente, ac proinde hæc differentia ad existendum tantum est obiectiua, quia id, quod physicè non est, non potest esse physicè indifferens: sed entitas antequam sit existens, & producta, physicè non est: ergo non potest esse physicè indifferens: ergo tantum habet obiectiuam indifferentiam. De hoc latius loco citato. Respondeo secundò, admissa hac indifferentia ad existendum, & non existendum, adhuc naturam nunquam futuram esse indifferentem, vt contraheretur per differentias indiuiduales, quia in illo statu, in quo natura consideretur eo modo, quo esset in illo esset contracta cum propriis differentia indiuidualibus, & eandem indifferentiam, quam haberet natura ad existendum, & non existendum, haberet differentia indiuiduales cum illa identificata, neque vnquam esset indifferens ad existendum cum his differentia indiuidualibus, vel cum illis, sed eo ipso

ipso, quod existeret hæc natura, quæ modò in me contracta dicitur, debuit existere cum meis differentiis individualibus, & eo ipso, quod eadem natura possibilis esset, & indifferens ad existendum, eandem possibilitatem, & indifferenciam haberet mea differentia individualis, ita ut nullo statu præcindibilis esset ante intellectus operationem naturæ, quæ modò est in me, à mea differentia individuali in eodem statu eadem ratione se habente.

Ad illud quod dicitur, videlicet Deum esse indifferentem ad producendam naturam in Petro, vel in Paulo, respondeo Deum esse indifferentem ad producendum Petrum, vel Paulum, & consequenter naturam Petri, vel naturam Pauli; non tamen esse indifferentem ad producendam naturam eandem realiter in Petro, vel in Paulo, quia eo ipso, quod produceret Petrum, illum produceret cum tali natura, quam non posset cum aliis differentiis individualibus, neque in alio à Petro producere. Ex quo inferitur Deum esse indifferentem ad producendam naturam, quam voluerit ex pluribus naturis, quamlibet in illo individuo, cum quo est identificata, non verò ad producendam eandem naturam in hoc, vel in illo individuo, ac proinde nullam dari naturam ante operationem intellectus indifferentem ad plura individua, quam dari necessum erat, ut daretur ante operationem intellectus naturæ universalis.

Age iam, admitto, quod falsissimum est, dari naturam ante omnem operationem intellectus indifferentem, ut contraheretur per hanc, vel per illam contractionem individualem, ita ut natura Petri, quæ per Petreitatem fuit contracta, posset contrahi per per Pauleitatem, adhuc affimo naturam illam, sic indifferentem ad plura individua universalem non esse futuram. Ratio esto: natura illa non esset indifferens ad plura individua, ita ut posset simul contrahi ad plura simultate se tenente ex parte actus, sed tantum esset indifferens ad plures contractiones sub disjunctione futuræ, hoc est, ut contraheretur per hanc, vel per illam non verò per hanc, & per illam contractionem inter se coexistentes, & simul eandem naturam actu contrahentes, quia eadem natura non potest simul duo individua realiter distincta constituere, quia constituit individua per contractionem identitatis cum differentiis individualibus, & licet daretur naturam indifferentem, ut contraheretur per identitatem ad hanc, vel illas differentias individuales inter se distinctas, non tamen concedenda esset natura potens contrahi simul per identitatem ad differentias inter se distinctas, in quibus multiplicatur: implicat enim eandem rem contrahi per identitatem ad res oppositas, in quibus fiat realiter multiplex, quæ antea realiter fuerat una simplex entitas, quod per se notum est, quia etiam si natura divina contrahatur per identitatem ad personalitates distinctas in illis non multiplicatur, sed semper manet eadem simplex natura: ergo adhuc entitas illa contrahibilis per plures identitates sub disjunctione non esset universalis. Probo consequentiam de ratione quidditativa Universalis est, ut in inferioribus multiplicetur, & ut simul contrahatur ad plura individua, ut patet in hoc universalis homo, quod non tantum est indifferens, ut consideretur in Petro, vel in Paulo, & ut prædicetur de hoc, vel de illo; sed etiam ut consideretur in Petro, & in Paulo, & ut prædicetur de utroque, & ut simul dicamus Petrus est homo; Paulus est homo. Sed natura illa non haberet hanc multiplicabilitatem: ergo natura illa non esset universalis.

Ex his infero, quod etiam si daretur distinctio ex natura rei formalis inter prædicata superiora, & inferiora, quæ sunt in Petro, non ideo dicendum esse dari naturam aliquam universalem; quia non ideo daretur una natura multiplicabilis in plures naturas, quia natura humana, quæ esset in Petro distincta formaliter ex natura rei à differentia individuali Petri, non esset realiter eadem cum natura humana Pauli, quæ esset in Paulo distincta formaliter ex natura rei à differentia individuali; quia identitates reales, quas haberent hæc naturæ cum differentiis individualibus, ratione quarum multiplicantur, impediunt naturas inter se identificari, & fieri unam naturam. Quod si natura Petri, & natura Pauli esset eadem natura identificata cum pluribus differentiis individualibus, ratione quarum in ratione naturæ non multiplicaretur, adhuc universalis non esset, sicuti universalis non est natura divina, etiam si identificetur cum tribus personalitatibus distinctis, quia non fit multiplex in ratione naturæ, etiam cum multiplici

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

personalitate identificetur. Daretur autem ante operationem intellectus universalis natura, si daretur natura, quæ ante operationem intellectus esset una, & ante operationem identificaretur cum differentiis individualibus inter se distinctis, ratione quarum eademmet natura, quæ fuerat una fieret plures naturæ inter se distinctæ, quod fieri manifestam inuoluit repugnantiam.

Standum est communi sententiæ, quam defendunt D. Thomas 1. part. quest. 85. art. 12. & quest. 39. art. 7. & ferè omnes Doctores, non dari ante operationem intellectus naturam universalem, neque unitatem aliquam multis communem minorem unitate numerica, aut ab illa distinctam. Ratio petenda est ex identitate differentiarum individualium cum omnibus prædicatis superioribus, quæ in eodè individuo reperiuntur, quam modò suppono: quod si illam à me supponi non patiaris, adito Punct. 3. Controverf. 4. Metaphysicæ, ubi illam latè probo. Ex hac identitate differentiarum individualium cum prædicatis superioribus efficaciam desumuntur argumenta ad probandam sententiam iam traditam. Primum esto: Differentia individualis Petri identificatur cum natura Petri: sed differentia individualis Petri non est communis Iohanni, neque habet unitatem communem Iohanni, aut distinctam ab unitate numerica: ergo natura humana Petri non est communis Iohanni, neque habet unitatem communem Iohanni, aut distinctam à numerica. Maiorem statuius modò, probandam posita loco citato: Minorem admittunt omnes: consequentia est legitima, quam sic corrobore. Ex duabus entitatibus identificatis realiter implicat aliquid realiter uni convenire, quod non conveniat realiter alteri, aliàs idem conveniret, & non conveniret eidem entitati: sed natura humana quæ est in Petro, & differentia individuales Petri identificantur: ergo implicat aliquid convenire naturæ humanæ, quæ est in Petro, quod non conveniat differentiis individualibus ipsius Petri: sed differentiis individualibus Petri non convenit esse communes Iohanni, neque habent aliquam unitatem communem Iohanni, aut minorem unitate numerica: ergo neque aliquid horum convenit naturæ humanæ, quæ est in Petro.

Secundò: Si natura eadem esset in multis individuis, & multiplicata ratione differentiarum individualium, esset eadem, & non esset eadem: Esset eadem, ut supponitur; non esset eadem, quia esset multiplex, ubi autem intercedit multiplicitas, distinctionem identitati contradictoriè oppositam intercedere necesse est, multiplicitas enim consurgit ex rebus distinctis, distinctionem autem opponi contradictoriè cum identitate certum est, quia etiam si dicatur unitatem & distinctionem in rebus positivis esse entitates positivas, quæ immediatè non opponuntur contradictoriè, quia oppositio contradictoria semper versatur inter duo extrema, quorum unum est positivum, & alterum negativum, nihilominus nullus negat distinctionem inper duas entitates habere sibi essentialiter coniunctam negationem identitatis inter entitates distinctas, quæ contradictoriè opponitur identitati ipsarum, & identitatem habere essentialiter coniunctam negationem distinctionis inter extrema identificata contradictoriè oppositam distinctioni: inuolunt ergo manifestam contradictionem identitatis, & distinctio respectu eorumdem extremorum: ergo eandem inuolunt identitatem, & multiplicitas, quæ essentialiter includit distinctionem. Quod si neges naturam identificatam multiplici differentia individuali multiplicem esse, & affirmes adhuc supposita hac identitate non esse multiplicem, sed simplicem, fingis in creaturis aliud mysterium simile Trinitatis mysterio, in quo reperiuntur differentie individuales identificate uni tertio, & non identificate inter se, & naturam identificatam cum pluribus differentiis individualibus inter se distinctis, quia ipsa sit multiplex, sed tantum una natura, quod in creatis admitti, plus est quàm chimæricum. Deinde hoc figmento admisso adhuc non daretur natura universalis, quia, ut supra dicebam, universale debet esse unum in se, & multiplicatum in inferioribus, & non sufficit identificari cum multiplici inferiori, si secundum rationem communem non multiplicatur, ratione cuius natura divina universalis non dicitur, sed una singularis natura, etiam si identificetur cum tribus subsistentiis distinctis, quia ex vi huius identitatis non fit multiplex in ratione naturæ, neque dicitur triplex natura, sed una triplici subsistentia identificata. Sic contingeret na-

G 2

tura humana, quæ vniuersalis non esset, sed particularis, si eadem absque sui multiplicatione in ratione naturæ identificaretur cum pluribus differentiis individualibus inter se distinctis.

12 Posses respondere contradictionem inuoluere naturam simul esse vnā, & multiplicem, quod non requiritur ad vniuersalem, ad quod sufficit naturam, quæ antea fuerat vna, fieri multiplicem illius vnitate destructa, quod contingit in vniuersali intentionali, quod communis sententia constituit, cuius vnitas deperditur cum ad plura inferiora contrahitur, huiusmodi enim contractio est diuisio vnus in plura, posita autem diuisione, ex qua resultat pluralitas, vnitatem diuisi destrui necesse est. Non tamen similem contradictionem reperiri in eo, quod natura quæ antea fuerat vna, postea multiplex fiat, quod sufficit ad vniuersalem constituendum. Respondeo verum esse sufficere ad vniuersalem constituendum naturam, quæ antea fuerat vna, fieri plures per identitatem adæquatam totius diuisi, seu totius naturæ cum quolibet membro diuisi, seu cum quolibet inferiori, ad quod contrahitur, in hoc tamen eandem contradictionem reperiri, ac in eo, quod simul sit eadem natura simplex, & multiplex, quia cum simplicitas & multiplicitas rebus per se ipsas conueniant, omni tempore, eodem modo conueniunt, & nequit eadem entitas modò esse simplex, & postea multiplex, quia eo ipso quod sit eadem, manet cum eadem simplicitate, quam habebat, ac proinde, si res quæ modò est simplex, postea fieret multiplex, retineret simplicitatem, quam haberet, & acquireret multiplicitem, ac proinde esset simplex, & multiplex. Idem contingit in omnibus predicatis inter se repugnantibus, quæ rebus per se ipsas conueniunt, sicuti esse hominem, & esse equum, eadem enim repugnantia est in eo, quod eadem entitas, quæ hodie est homo, cras sit equus, & in eo quod simul sit homo, & equus, & hæc ex illa necessario inferitur: quod si de entitate de qua est verum dicere modò, hodie est homo, esset verum dicere cras, erit equus, cras verum esset dicere, modò hæc entitas est homo, & equus. Deinde nullus potest assignari status ante operationem intellectus, in quo natura, quæ contracta ad plures differentias individuales est multiplex, præcesserit vt vna, cum non præcesserit ante hanc contractionem, quæ in quocumque individuo non distinguitur ab ipsa natura, quæ est contracta, quia naturam esse contractam ad differentiam individualement, nihil aliud est, quàm esse identificatam cum differentia individuali, esse autem identificatam extremum non distinguitur ab ipso extremo, quod dicitur identificatum.

## PUNCTUM III.

An detur ante operationem intellectus vnitas negatiua multis communis.

13 In puncto præcedenti subtiliter Doctorem nihil contra Angelicum docuisse de existentia vniuersalitatis ante operationem intellectus, quam nullatenus admisit Scotus, vt ex Magistri mente tradunt illius discipuli, & ex illius testimoniis clarè constat. Tam verò in præfati difficultate præcipuum Angelici Doctoris discipulum, Caietanum inquam, Scoti vestigia sequentem video, Afferit Caietanus cap. 4. de ente & essentia quæst. 4. cum Scotus in 2. dist. 3. quæst. 1. & 7. Metaph. quæst. 18. dari in natura vnitatem quandam communem, non positiuam, in qua vniuersalitas consistit, sed tantum negatiuam, quam sic explicatam inuenio apud Scotum, Scoti discipulos, & Caietanum. Duplex communis vnitas ab his authoribus distinguitur: quædam positiva, alia negatiua. Vnitas positiva communis illa dicitur, quam habet natura ita indeterminata ad plura individua per separationem, & abstractionem à differentiis individualibus, vt eademmet sit proximè potens vt de illis prædicetur. Vnitas communis negatiua est illa, quam habet natura, ex eo præcisè quod singularis non sit, quia natura communis negatiue nihil aliud est, quàm natura non singularis. Ita has vnitates ex Scoto explicant Rada 1. tom. Controversiarum, Controversia 3. art. 1. & Merino cap. 1. de vniuersalibus disp. 1. quæst. 3. sect. 2. Eadem ratione distinctionem hanc explicat Caietanus loco citato vbi afferit naturam humanam Petri distingui à natura humana Pauli

non ratione naturarum, quæ secundum se sunt vnum quid negatiuum, quatenus ex se non dicunt distinctionem, sed ratione differentiarum individualium cum quibus identificantur. Addit natura Petri ex se non repugnare esse in Ioanne, licet non habeat positiuam aptitudinem vt sit in illo.

Hanc vnitatem negatiuam reuocat communis Doctorum sententia, & illam ego eadem ratione impugno, quæ vnitatem positiuam impugnauit. Hæc vnitas negatiua non conuenit differentiæ individuali Petri: ergo non conuenit naturæ identificatæ cum eadem differentia individuali: implicat enim aliquid siue positiuum, siue negatiuum à parte rei independentem à nostro intellectu competere alicui formalitati, & non competere alteri, cum qua formalitas illa est identificata. Alio modo idem argumentum conficio. Differentia individualis Petri ex se habet positiuam repugnantiam vt sit in Ioanne: ergo natura Petri habet eandem positiuam repugnantiam vt sit in Ioanne. Probanda est consequentia supposita identitate inter naturam, & differentiam individualement ex principio sæpe repetito, videlicet, debere affirmari, & negari de quacumque formalitate, quicquid de alia cum ipsa realiter identificata affirmatur vel negatur, tanquam quid illi conueniens independentem à nostro intellectu.

Vigeo: Natura negatiue vna est natura non singularis, vt volunt, qui hanc vnitatem negatiuam defendunt, sed ante operationem intellectus non datur natura ex se non singularis, neque negatiue, neque præcisè: ergo ante operationem intellectus non datur natura negatiue communis. Non dari naturam non singularem, hoc est, priuatam singularitatem, quæ possit intelligi carens singularitate, sicuti aer obscurus intelligitur carens luce, certum est quia nihil potest positiuè intelligi carens illo, cum quo est identificatum, & cum quo per se ipsum est pluriusquam connexum, siquidem est idemmet. Non posse dari naturam præcisè non singularem, ex eo probatur, quia in his, quæ realiter identificantur, non nisi intellectus beneficio potest reperiri præcisio, & adhuc intellectus acie formalitates identificas non posse ex parte obiecti præcindi, fert grauius Doctorum sententia, quam vt veriorum amplector Controversia 4. Metaph. Punct. 8.

Demum apud me insignis contradiçtio in his terminis reperitur. Natura ante operationem intellectus non est singularis ex se, sed ratione differentiarum, cum quibus identificatur, quia ante operationem intellectus nihil magis ex se potest conuenire rei, quàm illud quod conuenit ratione formalitatis, cum qua est identificata, seu quæ est idem cum ipsa; quid enim magis ex se realiter, & physice potest conuenire entitati, quàm illud quod physice, & realiter per se ipsum illi competit? Dices magis ex se formalitati aliquid conuenire, quod ratione eiusdem formalitatis conuenit, quàm id quod illi conuenit ratione alijs formalitatis, cum qua identificatur, v.g. magis ex se conuenire animali identificato cum rationali esse principium sentiendi, quod conuenit ratione eiusdem formalitatis animalis, quàm esse principium ratiocinandi, quod illi conuenit non ratione formalitatis animalis, sed ratione formalitatis rationalis, quæ identificatur cum formalitate animalis. Difficulus iste fessellit auctores oppositæ sententiæ, qui asserunt naturam hominis esse communem negatiue, quia non ex se formaliter vt natura hominis est, habet non esse communicabilem Petro, & Ioanni, sicut habet esse principium discurrendi, sed ratione differentiæ individualis, cum qua coniungitur.

Totam prædictam doctrinam non graui operâ facile peruerto. In re physice eadem ante operationem intellectus non est hæc, & illa formalitas, quia has tantum intellectus acies partitur in obiecto physice, & realiter impartibili, & omnino simplici, in quo non reperitur vnum, & aliud physice distinctum: ergo ante intellectus operationem non potest aliquid alicui entitati conuenire ratione vnus formalitatis & non ratione alterius cum illa identificata, cum ante operationem intellectus non sit vna formalitas, & altera, sed simplex quædam, & indiuisibilis entitas, ratione cuius conueniunt omnia, & quæ entitati conueniunt intrinsicè per se ipsam, seu non per aliquid ab illa distinctum: ergo ante operationem intellectus non possunt reperiri in Petro natura, & differentia individualis quatenus sunt vna formalitas, & altera, sed quatenus sunt vna simplex entitas, neque potest conuenire incommunicabilitas positiuæ naturæ Petri magis ratione differentiæ individualis,